



Nr. 24.


54

ACADEMIAE  
REGIAE FRIDERICIANAE  
**PRORECTOR**  
**D. PAVLVS ANTONIVS**  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BORVSS.  
CONSIL. ECCLES. IN DVCATV MAGDEB. ET SS.  
THEOL. PROFESS. P. ORD. NEC NON DIOEC.  
PR. SAL. INSPECTOR,  
VNA CVM  
**PROFESSORIBVS RELIQVIS**  
CIVES ACADEMICOS

AD  
*DIES FESTOS*  
**MEMORIAE NATIVITATIS**  
**CHRISTI** bd.  
**CELEBRANDAE DESTINATOS**  
RITE AC PIE PERAGENDOS  
OMNES AC SINGVLOS HUMANISSIME  
MORTATVR ET INVITAT.

ACADEMIAE  
LIBRARIAE  
PRORHOGOR  
D. PAULUS ANTONIUS  
SIBENICINUS IOVANNI REGIS DOCTOR  
CONIUS CECILIA IN DUCAT MAGDEBVRG  
TITULUS ET CIVIS MONSIEU  
PROLITERARIIA  
CIVIS ACADEMIAE  
MEMORIE NATIVITATIS  
CHRISTI  
CAROLI VINDICAE DISTANTIAS  
CENSUS DE PIRAE TURKOS  
CENSUS DE SINGULOS HUMANISSIMOS  
HONORABILIS ET ETATI





Vod DEVS optime vertat, CIVES,  
memoria dici natalis DOMINI NO-  
STRI IESV CHRISTI denuo nobis  
non modo est cum animo recensenda,,  
sed publice etiam solemniterque celebra-  
nda. Isthuc vt sancte a nobis fiat, antea  
nunc, praeparationis loco, consideremus,  
quae fuerit illorum temporum conditio, quibus Iesaias Christum  
ex virginе nascendum perspicue his praedixit verbis (cap.7,14.)  
*Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen eius Imma-  
nuelē.* Deinde id quoque haud obiter pensitemus, in quaе nos,  
nos, inquam, qui nunc superstites sumus, inciderimus tempora,  
et in quibus haec cum illis conueniant, Sic enim futurum confidi-  
mus, vt impleti vaticinii eosdem, quos olim implendi, usus ad  
humanarum rerum rationem referre discamus.

Malorum et calamitatum tunc erat abunde, quibus feren-  
dis superandisque sermone illo propheticō medelam Deus pa-  
rabat. Antea enim modo reges Israelis, modo reges Syriae,  
sigillatim quilibet, aduersus reges Iudee, qui a Davide genus du-  
cebant, bella mouerant. Nunc vero confoederatio Rethzinis,  
regis Syriae, et Pecachi, regis Israelis, eorumque in excidium  
Hierosolymae coniuratio Achaso, regi Iudee, nuntiabatur. Et  
iam iam illi adfuturi credebantur, ingentibus armatorum copiis  
instructi, vt urbem obsidione cingerent. Rex igitur, et vniuer-  
sus populus trepidare et pauere, et tristissimis curis agitari, et in varias  
partes impelli, vt impellitur solum arboris, cum aurae flatu concu-  
titur.\*

Neque malum hoc tantummodo ad externum regni statum spectabat, licet tum forte plurimi nihil metuerent aliud, nisi externam publicae rei conuulsionem. Tristius certe his machinationibus ac profundius Satanae consilium inerat. Is enim instigabat reges Syriae et Israelis, ut familiam Davidicam exsiderent, et regnum Iudee dissectum sibi adiungerent, quo hac ratione irritum redderetur Dei consilium, eo tendens, ut ex illa familia Messias aliquando prodiret.

Praeclare in hunc sensum B. Brentius, hic, inquit, considerandum est, non esse nouum, sed vetus odium Satanae aduersus Ecclesiam DEI. Dictum est olim ad Satanam: semen mulieris conteret caput tuum, et tu infidiaberis calcaneo eius; quare, quum Satan sciat, potentiam suam conteri per Christum, qui est illud mulieris semen, teneri non potest, quo minus adgrediatur omnes illos homines, in quibus inueniatur Christum. Itaque multis malis adfixit Patriarchas, et meditatus est semper ipsorum intercessionem, quia vidit ex familia eorum venturum Christum, et inuenit etiam in ipsis Christum per fidem. Ac postea excitauit Pharaonem, qui cogitabat totum Israelem opprimere. Deinde, quum Israelitae tenebant terram Patriarchis promissam, excitauit omnes finitimas gentes, ut ad perdendos Israelitas, tamquam ad commune incendium extingendum, adcurrerent. Sic et hoc loco excitauit regem Syriae, et regem Israelis, ut foedare quodam sepe ad delendam totam familiam Davidis coniungant. Sciebat enim promissum esse, venturum e familia Davidis Christum, contritorem capitum sui.

At enim, dices, auertebat DEVS malum illud, quod Achafio ac populo eius reges foederati minabantur; simulque ipsius Satanae, vnde illud ortum trahebat, consilium prorsus, saltem tum temporis, euanescebat. Videtur igitur illa, licet fuerit maxima, tamen non nisi momentanea fuisse animorum perturbatio, ex incubente malo suborta. Siccine ergo, nebula illa subito discussa, illuxerunt statim tempora meliora? minime vero. Nam dixerat quidem DEVS per Iesaiam (c. 7, 7.) Non existet, seu non confisctet, regum illorum consilium, neque extabit illud, aut exitum reperiet; isque omnino, quem vates praedixit, tantorum molimimum inanis fuit euentus, licet fidem his eius dictis Achafus minime adiungeret. Attamen propterea haud felicia regem ac populum eius tempora tum manebant:

bant. Sic enim ex mandato DEI Propheta (c. 7, 17.) ad Achasum: *Faciet Iehouah, ut veniant contra Te et contra populum tuum, et contra domum paternam tuam, tempora, qualia non venerunt, ex qua die recessit Ephraim a Iuda, per regem Assiriae.* Ita DEV S, pro veritate, potentia, sapientia ac iustitia sua, et commemoratum illud abigebat malum, quod, in neruum si erupisset, promissorum domui Davidicae factorum maxime ambiguam fecisset fidem; et idem Numen iudicio iustissimo alia fine mora adducebat mala, illis ipsis, quae Achasus, verbo DEI diffusus, euitare nitebatur, longe grauiora; quae nunc quidem speciatim describere nostri haud est instituti.

Malis vero istis omnibus, quae in scholis *mala poena* vocari solent, locus minime suisset, nisi *mala*, quae *culpae* dicuntur, praecessissent. Hinc ad Achasum, *audite iam*, ait Iesaias (c. 7, 13.) *domus Davidis: an parua vobis res est, fatigare homines, quod etiam fatigatis DEV M meum*, q.d. tam pertinaciter inhaeretis male agendi proposito, ut parum vobis sit, omnibus hominibus vos esse depravatis actionibus vestris molestos, neque hoc contenti sitis; sed DEO etiam insultetis, abominanda Religionis simulatione insignem illam eludentes gratiam, quam DEV S vobis, ad faciendam verbo suo fidem, benignissime obtulit.

De populi autem statu quid Iesaias? *nisi, inquit, Iehouah exercituum reliquos fecisset nobis superstites, utunque paucos, ut Sodoma essemus, Gomorrae similes essemus.* Quae verba, licet alibi prolata (cap. 1, 9.) quis dubitet, cum de longiori temporis serie, tum vero maxime de Achasi aetate valere. Hinc non ad huiusc tantum, sed ad populi ipsius peccata venturam refert tempestatem, quem ait (c. 8, 6. 7.): *Propterea, quod sprœvit populus iste aquas Schiloachi (vias Christi) euntes sensim; et eius gaudium (carne ac profanum) est apud Rhetzinem et filium Remaliae: ecce Dominus faciet, ut descendant contra ipsis aquae illius fluminis fortissimae et amplissimae, rex Assiriae et omnis gloria eius: qui ascendens super omnes validas aquas suas, iensque super omnes ripas suas, reliqua.*

Quamobrem Propheta edoctum se diuinitus, atimoque probe confirmatum dicit, (c. 8, 11.) ne populi illius corruptissimi viam, h.e. mores et nefaria instituta, consecraretur; et mox, praedicto decem tribubus exitio, suae etiam genti, quam progenies Davidica regebat, iussu diuino Vae denunciat, (c. 10, 1. 2. 5. 6.) et quas iustissimo iudicium apertae impietatis, tum fucati cultus poenas sit daturus, liquidissime declarat enarratque.

Tam misera autem ac deplorata quum fuerit temporum illorum conditio, primo quidem id ab exquisita ratione profectum censeri debet, quod epidemicae corruptionis torrenti non modo comminationes legales, quas vtique poscebat perfidiae atrocitas ac sceleratae vitae flagrantia, sed promissiones etiam euangelicae obliquantur. Enimuero conueniebat illi quoque tempori, quod Paulus ait (Rom. 3, 2. 3. 4.) *Iudaeis concredita sunt eloquia Dei. Si autem infidi fuerunt quidam, quid tum? Num ipsorum infidelitas fidem Dei inanem reddet?* Absit: immo est Deus verax, omnis autem homo mendax: sicut scriptum est, *ve insisteris in sermonibus tuis, et vincas, quando tu iudicas.*

Admiranda deinde nobis hic est sapientia Dei, qui spiritu suo, cuius instinctu Propheta loquitur, orationem eius ita temperat, vt, licet admistae consolationibus minae essent, et hae ad malos, illae ad pios maxime pertinerent, tamen, ad utros hae, illae essent referendae, discerni ab omnibus, nec facile a bonis malisue error hac in re committi posset, vt forte, quod esset partis alterius, altera sibi praepostere adplicaret. Quum enim domus Davidica contemtu iam et obliuione propemodum obtruiisset promissa Dei, quae ipsi impertita fuerant, eminentissima, oportebat illa in memoriam cunctis reuocari, atque in clariorem simul lucem proferri, eo maxime tempore, quo ingruentia mala adeo videbantur insuperabilia, vt omnem diuinis promissionibus fidem apud eos, qui animum verbo Dei non solcite confirmarent, abrogatum irent. Hoc pacto autem repetitis et illustratis veteribus vaticiniis, poterant ii, qui, licet probi non essent, tene-

tenebras tamen luci praeferre peruvicaci malitia haud pergerent, nouo lucis splendore et euangelicae consolationis suavitate ad bonam frugem perduci. Illi vero pariter, qui mente illibata in Dei cultu perfisterant, non modo inter tot temporis corruptissimi mala ergebantur, sed eam etiam e luculentissimis de Christo vaticiniis, quae Spiritus S. per Prophetam fundebat, solatii haurire poterant abundantiam, ut in omnibus aduersis amplius, quam victores essent per eum, qui denuo et iterum iterumque iis spondebatur, CHRISTUM SERVATOREM.

Cardo enim solatii, quod Prophetae solebant veteri populo in ipsis externis calamitatibus ministrare, in testimoniis de Christo venturo vertebatur. Quum autem alias Prophetae generaliter auditorum animos ad salutem in Christo exspectandam remittere consueuerint; id quodammodo singulare hoc loco videtur, quod Iesaias ab ipsa speciatim Christi nativitate suam consolationem arcessat.

Et mirum id quidem, Prophetam nostrum nativitate Christi solari homines, tanto temporis intervallo ab illa distantes; mirum id quoque, eum salutem a Christo nobis pariendam, quam spirituale esse haud ignorabat, constituiere fundamentum omnis solatii etiam in afflictionibus exterioribus; sed tamen id multo est mirabilius, Iesaiam in illo ipso solatio, quod a Christo olim nascendo desumit, ita exultare ac triumphare, ut occasio nomen dederit veteribus dicendi, eum magis hic Evangelistam qui, quae in salutem nostram facta essent, enarret, quam Prophetam, qui de futuris nos reddit certos, appellandum esse. Neque enim ipsa duntaxat prophetia, quam capite 7. de Christo sine labis impuritate ex virgine nascendo edidit, laetitiae praefert affectum; sed mox etiam regionem Iudaicam nomine insig- nit, eosque inaudito, terrae Immanuelis (c. 8, 8.) idque non sine evidenti tenerimi affectus significatione.

Tum

Tum fidei, qua promissum complectitur *Immanuelē*, eam  
viam prodit, ut ludos ei debeant infensa populo DEI gentes.  
Nam, *confociamini*, inquit, (c.8, 9.10.) o populi, et conterimini; auremque pra-  
bete, quotquot eſis in locis longinquis terrae: accingimini et conterimini. Inite  
consilium, et irritum fiet: loquimini verbum et non exiſet; nam *Immanuel*, h.e.  
*nobiscum DEUS* est. Eandem vero viam ac rationem aduersus in-  
gruentem quamvis tempeſtatem animum communijendi, iuſſu  
diuino cunctos edocet, verbo DEI fidem habentes, ne dicatis, in-  
quiens, (c.8, 12.13.) coniuratio, in quibuscumque dicit populus iste coniuratio:  
et timore istius ne timeatis, neque expaſſendum dicatis. Iebouam exercitum  
ipſum sanctificate, et ipſe ſit timori vobis, idemque ſit pauroi vobis. Quid?  
quod ſubito quaſi ſpiritu in ipſe nati Christi tempora translatus,  
ac mixtus coetui fidelium, Iosephi, Mariae, Simeonis, Han-  
nae, caeterorum, qui *Salutare Domini*, (Luc.2,30.) *Immanuelē*, ſuis  
conſpicati ſunt oculis, erit, inquit, (c.8,14.) ſanctificationi; in lapidem au-  
tem allifionis, et in rupem offendionis ambabus domibus Iſraēlis, in laqueum, et in  
tendiculam habitatori Hierofolymae: in quae offendant multi, et cadentes con-  
fringantur, aut irretiti capiantur. His ita prolatis, quaſi ſumma cum  
admiratione in hanc descendere videtur cogitationem: Quis ergo  
fide debita Christum uſcipiet, ſi iſte offendiculum erit Iſraē-  
litis, & ruina ciuibus Hierofolymitanis? Ad hanc vero tacitam  
queationem quaſi ex ore ipsius Christi reſpoſionem excipit, et,  
ut denuo hic cum B. Brentio loquatnur, quaſi de ſuggento deſcendit,  
ut concionem Christi etiam ipſe audiat, dicentis: Liga coniurationem, configna  
legem inter diſcipulos meos, reliqua. Eſi enim plures Iſraēlitae, et  
ciues Hierofolymitani, offendantur in me, et cadent, tamen re-  
liqui erunt inter ipſos nonnulli pii, qui mei erunt diſcipuli, et in  
quibus testimonium et lex ligabitur et obſignabitur, h.e. a quibus  
meum Euangelium recipietur, & in quibus ſigillo Spiritus S. ita  
conſirmabitur, ut magna fide ipſum amplectantur, et toto corde  
ei adhaereant. Eo tempore dicam (Matth.ii, 25.) Gloriam Tibi  
tribuo Pater, Domine coeli et terra, quod haec occultaveris a ſapientibus, &  
intelligentibus: et ea retekeris infantibus.

Ne au-

Ne autem in consideratione adfectus Iesaiani, (quem e  
verbis DEI, Immanuelē e Virgine nascendum pollicentibus,  
animo conceptum in subsequentibus passim exprimit et effundit)  
iusto simus longiores, compendii gratia excerptemus dicta  
nonnulla, in quibus apertissima eius indicia resident. c. 9, 3. ait:  
*Lactati sunt conam te, quasi laetitia, quae agitur in messe, ut qui exultant par-*  
*tientes praedam. & v. 6. Puer natus est nobis, filius datus nobis, qui humero su-*  
*finet principatum; cuius nomen vocat (Iehoua) admirabilem, consilarium,*  
*DEUM fortē robustissimum, Patrem aeternitatis, Principem pacis. Amplitudi-*  
*nis illius principatus, & paci nullus erit finis, in solio Davidis, & in regno eius,*  
*stabilendo illud iure, & iustitia: ab isto tempore in saeculum usque Zelus Iehouae*  
*exercituum facturus est istud.*

En autem c. 10, 21. nouam ingentis gaudii materiam, quum  
ait: *Reliquum reuertetur, reliquum Iacobi ad DEUM fortē robustissimum.* Nimirum id, quod filio nascendo (c. 7, 14.) imponendum dixerat, nomen *Immanuel*, Nobiscum *DEUS*, iam (c. 9, 6.) addita voce vnica exposuerat, quum eundem nominandum diceret *E/Gibbor, DEUM fortē robustissimum.* Quum autem c. 8, 14. con-  
questus etiam esset, tantum abesse, ut maiestatem illam ac robur  
Messiae, nomine *Immanuelis* designatum, posteri omnes Iacobi  
sint agniti, ut plurimis potius offensioni futurus sit; iam etiam  
(c. 10, 21.) laetatur, fore tamen aliquando, ut quod de progenie Ia-  
cobi esset reliquum, ad ipsum conuerteretur, isque talis ac tan-  
tus, nempe ut *E/Gibbor, DEUS fortis, robustissimus*, re ipsa atque expe-  
riundo agnosceretur.

Initium porro capititis II<sup>mi</sup> declarat, Prophetam in continua-  
tione sermonis nihil a laetitia remisisse, quam ex oraculo de na-  
scendo Christo percepérat. Subito enim ad illud haud obscure  
se refert, *Prodibit, inquiens, virgula e trunco succiso Iſai, & furculus e radi-  
cibus eius efflorescer, super quo quiescer Spiritus Iehouae; Spiritus Sapientiae, &  
intelligentie, Spiritus ſcientiae & reverentiae Iehouae.*

B

Et quis

.Et quis tandem, si exundantissimum istum, etiam in sequentibus, gaudii perpenderit adfectum, miretur, eum capite duodecimo in laetissimum Ecclesiae hymnum desinere?

Prophetam autem in agnitione mysterii de Incarnatione Filii DEI tam claris & apertis usum esse oculis, ac thesauros Euangelii tam explorate perspectos habuisse, atque etiam in suam & communem Ecclesiae utilitatem tam conuenienter oeconomiae Novi Testamenti, data quavis occasione, conuertisse, id utique maximopere est admirandum. Vidit enim, omne solatium generis humani in illius in carnem aduentu esse repositum; solatium vero illud non tum demum locum esse habiturum, quem venisset plenum tempus, ac Filius DEI, adsumto homine, ipse terras lustrasset; sed ex prima primigeniis Parentibus, admisso peccato, facta promissione redundasse in omnes, qui verbo Dei non diffiderent. Vidit, solatium illud non terminari in riuislis, h.e. bonis quibuslibet gratia et misericordia DEI in nos deriuatis; sed in ipsomet Christo, fonte gratiae, salutis honorumque omnium, ultimo animos nostros esse defigendos, si velimus requiem animabus nostris inuenire. Vidit, tam acerbam et grauem esse temporum conditionem nullam, quae non tolerabilior ex eo, quod Christus nobis Seruator datus fit, reddatur; quaeque, quod multo praestantius est, in commodum nostrum non vergat ac definat sempiternum, si modo puer nobis nato filioque (DEI) nobis dato vera fide gaudeamus, totaque mente in illum recumbamus. Vidit, malis vniuersis vnicam se fidem secure obiicere; fidem autem vim illa superandi non ab alio nisi ab unico habere Christo. Quis enim vigilat omnia enarrer, quae omnino lesiām vidisse (breuissimo licet oraculo de Christi evanescere admonitum) vel sex illa, quae hic attigitur, capita euincunt? Oronia illi Christus, atque, vt esset idem

idem etiam τὸ πῦρ ἡ ἐν πᾶσι, omnia etiam in omnibus Col. 3, ii.  
 summo ille studio, ac perpetuo doctrinae tenore contendit. Quis  
 autem non obstupescat, si consideret, tot saeculis ante, quam na-  
 tus esset Christus, eius tam profunda, tam exacta, tam liquida noti-  
 tia praeditum Iesaiam fuisse, ut, nisi de eius aetate indubie con-  
 sideraret, facile luculentissimo Novi Testamenti tempore scripsis-  
 se censeretur? Et quis non summe admiretur, illum doctrinae  
 de Christo, naturam humanam divinae copulante, applicatio-  
 nem tam solidam ac plenam prophetia sua esse complexum, ut in  
 hoc genere Apostolicis scriptis nihil concedat? Forte hoc mirari  
 iis in mentem non venit, qui non nisi perfunctione Iesaiam le-  
 gunt, aut qui dicta quidem extantiora, sed extra integri contextus  
 et insiti affectus debitam considerationem, inde decerpunt.  
 At non potest non illud stupori esse iis, qui serio rem agunt, et  
 inter pias preces Iesiae lectio inhaerent, dum mentem Spiritus  
 Sancti, qui eorum illius inhabitauit, animum erudiuit, ori calamoque  
 una cum re verba suggestis, pleniū adsequuti fuerint, inibi be-  
 rintque.

Vt innam autem hoc esset nostrum his temporibus nego-  
 tium, hic labor! ut concionantem de Christi nativitate Iesaiam  
 audiremus atque intelligeremus. Neque enim melior est aeta-  
 tis nostrae conditio, quam eius, in quam Iesaias incidit. Otiosum  
 foret praesentium malorum et publicarum calamitatum am-  
 plam dare descripitionem. Succincte vero non nemo praesen-  
 tem & eum quidem externum statum orbis Christiani pu-  
 blico in Programmate non ita pridem sic repraesentavit:  
*Pergi faciure pertinax temporum acerbitas: casus casum excipit: mala malis cumu-  
 lantur: belli incendia pestilentis, pestilentiae diluvii miscentur: spes vix offensa  
 reuanebit: et vindique rerum facies subinde terribilior occurrit.* Haec sane  
 sciuntur publice ac sentiuntur, atque ita sunt in aprico posita, ut  
 nec rerum publicarum incuriosos praeterire possint. Sunt au-

rem alia, quae nec sciuntur, nec sentiuntur, saltem non a quamplurimi; aut, si sciantur, non deputantur esse mala, bello, peste, fame, diluio, et si quid his rebus gravius est, longe terriora. Ea sunt, quae Paulus 2. Tim. 3, 1-5. his verbis praenuntiat: *Illud autem scito, sive, ut extremis diebus insteni tempora molesta. Erunt enim homines sui amantes, auari, gloriose, superbi, maledici, parentibus non obsequentes, ingrati, profani, charitatis expertes, implacabiles, calumpnatores, intemperantes, immorales, minime amantes bonorum. Prodigantes, praeincipentes, inflati, voluptatum amantes portius, quam amantes Dei: habentes formam pietatis, sed qui vim eius abnegant.* Quo pertinent, quos 1. Tim. 4, 5. describit, *insanientes circa quaestiones ac pugnas de verbis: ex quibus nascitur inuidia, lis, maledicentiae, suspicione malae, perversae exortationes hominum, mente corruptorum, et qui privati sunt veritate, et quaestui habent pieratem.* Haec sunt mala, quibus etiamnum plenus est orbis christianus, velut aquis alveum maris opperientibus. Quisiam ea, quae ex his in dies pullulant, mala dinumerare sustineat? Meminimus superiori seculo libellum prodire incerti Auctoris sub titulo: *Ter mille querelle de corrupto Christianismo* (Drey tausend Klagen über das verdorbene Christenthum.) At vero myriadem earum facile aliquis dederit, nec dum argumento huic fecerit satis. Nec desunt, qui mala haec domestica pro officii ratione candide modesteque derexerint. Utinam aequa prona ac facilis eorum curatio esset! Haec autem eo nunc redditur difficultior, quo magis in probrofissimam haeresin ipsa pietas verti consueuit. Quae vero in his malis sint Satanae *voynata*, haud difficulter intelligitur. Hoc videlicet agit, ut exscindat Christum, ut nihil ei sit reliquum; ut inanem reddat crucem Christi; ut Christianismo Apostolico, unice vero, dudum substitutum Christianismum fictum, pictum, spiritu carentem sancto, nescientem mundi amicitiam esse inimicitiam aduersus Deum, in verbis et in oratione scientia, non in spiritus potentia, regnum DEI collocaantem, ut talem, inquam, Christianismum introductum sempiterna auctoritate stabiliat; si quis autem re et ore contrarium nitatur ostendit.

stendere, eum tamquam merito suspectum novatorem, et mox quoque tamquam haereticum, saltem ut schismaticum, et, qualis qualis fuerit, certe eo ipso, quod in recepris pravis moribus non conquiescat, ceu reiectaneum, per organa sua fidelia communi odio; contemtui, ludibrio exponat, et, quantum vsque fieri possit, pesime habeat.

Recte vero iterum eum in sensum B. Brentius: *Quod satan conatur aduersus Ecclesiam Christi publice, hoc idem conatur aduersus unumquodque membrum Ecclesiae priuatim, ut etiam si nulla sit publica persecutio, tamen immittat uniuicue, in quo inuenit Christum per fidem, variis afflictiones, ut excutiatur ei Christum, et perdat in ipso Christum. Sed animus noster firmandus est certitudine verbi DEI, ut obuiam carnis conatu Satanae, et mancamus in Christo, vero nostro Scrutatore &c.*

Et nostri quidem officii satis superque nos admonet Iesaias, quando cunctis sui temporis malis opposuit dictum: *Ecce, virgo concipiet, & pariet filium, et vocabis nomen eius Immanualem. Et illud: Puer natus est nobis, datus nobis filius, reliqua.* Ita credidit, atque omnes docuit, Euangelio de Christo, tum quidem venturo, eam vim inesse, vt, qui fidem illi habuerit, in rebus quamlibet aduersis bono animo esse valeat.

Hinc igitur ita nobis argendum est: quod si tanto ante aduentum Christi tempore praecipuum illud fuit malorum remedium et consolationis fundamentum, quo etiam pii se aduersis impiorum saeculi mores tuerentur ac sustentarent: quanto magis nos, qui Christum aduentasse nouimus, credimus, profitemur, eius in aduentu tenebimus refugium omne ac praesidium querere, summamque solatii conlocare?

Postea enim, quam illa DEI promissa adparuerunt, res ipsa loquitur, maiori cum parrhesia dicere cum Paulo nos

posse: *Si DEus pro nobis, quis contra nos?* Is quidem, qui proprio filio non pepercit, sed (missum, ex muliere natum, carnis & sanguinis factum participem) pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur? (Rom. 9, 31. 32.) Ipsa humana ratio, si modo concederet prius, nempe, Deum esse pro nobis, haud diffitebitur posterius, neminem contra nos esse futurum, videlicet eo cum successu, ut nos impugnatos expugnet, pressos opprimat, immo morti traditos vita aeterna priuet, Deumque prohibeat, quo minus illico praeteruentem afflictionis nostra levitatem, excellenter excellente gloriae pondere aeternum repensem (2 Cor. 4, 17.) Prius autem illud, quod DEVS sit pro nobis, ratio ignorat, nec aliunde nisi ex Euangelio nobis dispalescit: quod, et si etiam Iesaias et integer Prophetarum chorus habebat, erat tamen eo tempore illud Ecclesiae veluti lucerna splendens in obscuro loco. Prophetaabant enim de ventura in nos gratia, scrutantes, in quem, aut qualem temporis articulum (1 Pet. 1, 10. 11.) illa deberet incidere. Nunc autem illuminit gratia illa DEI salutifera omnibus hominibus. (Tit. 2, 11.) Nox iam praeteriit, dies adest. (Rom. 13, 12.) Vnde Paulus et reliqui Apostoli magno studio de hac luce homines admonuerunt. Sic ille (2 Cor. 6, 2.): *Dicit DEVS: Praefinito tempore acceptio exaudiui te, et in die salutis succurri tibi; ecce nunc est praestitutum illud tempus acceptum, ecce nunc dies salutis.*

Pudoritaque sit nobis, Iesaiam et reliquos, qui cupiuerunt videre impleta, quae nos videmus implementum debitum plenissime obtinuisse, nec viderunt; et audire, non tamquam futura, sed tamquam facta, quae nos audimus et argumentis inuictis facta iam esse conuincimur; illos, inquam, ipsos multo tamen magis de Christo nascendo gauisos, et illo se contra omnes malorum tempestates solatos, quid? quod luculentiori ac profundiori ipsius Christi et bonorum, quibus per

per ipsum impertimur, cognitione imbutos fuisse, quam nostrum plerique, qui a puero historiam Euangeli didicereunt.

Aduertite igitur animos, o Ciues, excitamini, quotquot dormitatis, et resurgite e mortuis, ut illucescat vobis Christus (Eph. 5, 14.) Agite, abicite opera tenebrarum, et induimini habitu, qui luci conueniat. Ut interdiu, composite ambuletis: non in comestationibus et ebrietatibus, non cubilibus, ac lasciviis, non lite, et iniuria. Sed induimini Domino Iesu Christo, et carnis curam ne habetem ad explendas cupiditates. (Rom. 13, 12. 13. 14.) Propterea enim illuxit, nato Christo, gratia illa DEI etiam vobis, ut erudiret vos, abnegandam impietatem et mundanis cupiditatibus, temperanter, et iuste, et pie viuendum esse in praesenti saeculo, atque sic deinceps expectandam vobis esse beatam illam spem, et illum aduentum gloriae magni DEI, ac Seruatoris nostri Iesu Christi. (Tit. 2, 12. 13.) Excubate igitur, omni tempore deprecantes, ut digni habeantini, qui effugiant omnia, quae adhuc futura sunt, mala iudiciaque diuina, quae iam prement orbem christianum, et consistatis ante filium hominis, contemptum sicutque verbi poenitentiae poenis etiam temporalibus nunc pro merito vindicantem. Ita, ita, praeuia peccatorum poenitentia, succincti Euangilio, ac precibus muniti, perfruemini etiam vos solatio, quod ex natuitate Christi promanat, ipsaque re experiemini, quam securi atque confidenti sint animo, qui vera fide natum nobis Christum complectuntur, eique, tanquam Seruatori ac Sospitatori, se totos commiserunt ac tradiderunt.

Vos autem qui eratis olim quidem tenebrae, nunc autem lux estis in Domino: ut filii lucis per fidem incedite. (Eph. 5, 8.) Agite, aemularmini Iesaiam ac caeteros, qui praegustarunt donum illud coeleste, ac bonum Dei verbum et virtutes futuri saeculi. Accinunt illi vobis: Ecce virgo conciperet pariet filium etc. Respondete vos: Totum hoc factum est, atque impletum, quod Dominus per Prophetam dixit: (Marth. 1, 22.) Peperit enim virgo illa benedicta inter mulieres. Habemus Immanuelē. Illi: Puer natus est nobis, filius datus nobis etc. Vos: Inmo nobis natus

natus ac datus. Ita enim Deus dilexit mundum, ut Filium illum suum unigenitum dederit, vt, quisquis credit in eum, non periret, sed habeat et vitam aeternam (Ioh. 3, 16.) Vestrum iam est dicere: Quam preiosa est benignitas tua, Deus, quum filii hominum ad umbram alarum tuarum se recipiunt. Uterime expletur pinguedine domus tue, et de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis quandoquidem penes te est fons virae, in luce tua fruamur luce. Ps. 36, 8. 9. 10. Haec, antiquissimis temporibus de Christo praedicta iam a vobis non leuiter degustanda sunt, sed usu ipso atque experientia quotidie ad saturitatem usque, nauseae nesciam, percipienda. Ita si Christum per fidem indueritis, non timebitis malum amplius, sed fiduciam habebitis etiam in die iudicii, quod qualis ille est, tales et vos sitis in hoc mundo. Ioh. 4, 17. Iehova, Deus vester, in medio vestri potens, vos est servatores; gavisus de vobis laetitia, conquicurus in amore suo, exultaturus de vobis cantu. (Zeph. 3, 15. 17.) NAM HIC est IMMANUEL.

P.P. d. 23. Dec. 1713. in Academia Fridericana.

### LITTERIS ORPHANOTROPHEI.

Ja 1586

ULB Halle  
001 508 687

3



VDN8

St

VDN7



AC  
**REGIAE F**  
**PROF**  
**D. PAVLV**  
 SERENISSIMI ET POT  
 CONSIL. ECCLES. IN  
 THEOL. PROFESS. P  
 PR. SAL  
 V  
**PROFESSOR**  
 CIVES AC  
 DIES  
**MEMORIAE**  
**CHR**  
 CELEBRANDA  
 RITE AC PIE  
 OMNES AC SINGVL  
 MORTATVR ET

**Farbkarte #13**

Centimetres

inches



B.I.G.